

« Consequenter vocavit testem fr. N. ex officio assumptum, qui præstito prius juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur. »

Ad generalia. — « Interrogatus: Quomodo vocetur? Resp., etc., ut supra. »

Ad specialia. — « Interrogatus: Ubi fuerit illo tempore? (quo videlicet cum iudice deprehenderit reum) Resp. Fui cum A. R. P. in loco N., etc.

» Interrogatus: Quid viderit, et audiverit ibi? Resp., etc.

» Interrogat. In causa scientiæ? Resp. Intellectum, etc.

» Interrogat. An bene cuncta observaverit? Resp.

» Interrogat. Quid sentiat de fr. N. reo videlicet? Resp., etc.

» Quibus habitibus, etc., fit clausula et subscriptio solita, et ita examinantur alii testes, qui fuere præsentibus. »

563. *Constitutio et examen rei.* — Finito examine constituitur, et examinatur reus, ut sequitur.

« Anno, mense, die vocatus, et coram A. R. P. provinciali constitutus fuit fr. N. ut supra in flagranti deprehensus, qui de statu suo monitus et jussus, juramentum de dicenda veritate deposuit (si delictum excommunicationem secum trahat, absolvatur ab ea, ad effectum standi in iudicio, et cum reincidentia, addatur in actis v. g. Ac postquam ab excommunicatione standi in iudicio et non aliter fuit absolutus) responditque, ut sequitur.

» Interrogatus quoties, vel quoad hoc scelus, etc., committere ausus sit? Resp. Etc. Si omnino negaret, se delictum commisisse.

» Interrogat. Nonne ab ipso A. R. P. provinciali, et aliis NN. fuit in actuali scelere deprehensus? Resp. Etc. »

Possunt fieri etiam alia interrogatoria pro diversitate circumstantiarum, principaliter autem.

« Interrogat. Quare non debeat condemnari ad poenam ordinariam? Resp. Etc. »

Si reus pertinaciter persisteret in negatione criminis, in quo fuit deprehensus, non attendat iudex, sed objurgat eum de temeritate, malitiosissimo perjurio, etc., ipsumque urgeat, ac etiam non confitentem condemnet, utpote jam convictum, ita tamen, ut si petat patronum, ei concedat, qui intra terminum assignandum proponenda proponat, quare non debeat ad poenam ordinariam condemnari.

564. *Sententia contra illum.* — Condemnatio autem per decretum, vel sententiam ita fieri potest.

« In nomine sanctissimæ ac individue Trinitatis, etc. ut supra numer. 500, declaramus sententiam, et pronuntiamus, fr. N. fuisse deprehensum in flagranti delicto (hic describitur factum circumstantionate) ac propterea esse puniendum juxta tenorem sacrosanctorum canonum, et statutorum ordinis. Prout etiam eundem hisce condemnamus ad poenam (ponitur poena infligenda addita causa minuendi vel augendi si minuitur, vel augetur). Ita et omni meliori modo, etc. »

565. *Modus formandi processum contra reum ab aliis.* — Circa tertium modum iudex primo creat, et assumit notarium pro actuario ut supra num. 344. Dein examinat testes super apprehensione, et delicto; et tandem constituit reum, v. g.

« In nomine Domini. Amen. Hic est processus criminalis ab A. R. P. provinciali N. institutus contra fr. N. in flagranti deprehensum. Cum enim dictus fr. N. ut aiunt, actu perpetraret crimen N. (quod hic describitur) ab aliquibus, videlicet N. et N. deprehensus et apprehensus, atque ad A. R. P. provincialem adductus esset, volens idem A. R. P. provincialis procedere prout juris, me infra scriptum vocavit, et in notarium coram testibus creavit, creato detulit juramentum de fideliter exequendo officio, quod etiam præstiti. Acta sunt hæc. Fit subscriptio solita provincialis, testium, et actuarii.

» Postea statim vocavit, et ex officio assumpsit fr. N. unum ex illis, qui dicebant deprehendisse et apprehendisse et adduxisse reum, is præstito juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur. »

Ad generalia, ut supra num. 372.

Ad specialia. — « Interrogatus: Quare apprehenderit, et adduxerit reum ad iudicem? Resp. Etc.

» Interrogatus: In quo actu deprehenderit? Resp. Etc.

» Interrogat. Quando, et in quo loco? Resp. Etc.

» Interrogat. Quantum temporis inter delictum, et apprehensionem intervenerit? Resp. Etc.

» Interrogat. De contestibus? Resp. etc.

» Quibus habitibus, etc., fit communis clausula, et subscriptio. »

Dein vocatur, constituitur, et examinatur reus, ut sequitur.

« Anno, mense, die, loco, etc., ut supra mutatis mutandis.

» Interrogat. Quomodo vocetur? Resp.

» Interrogat. Cujus ætatis et conditionis sit? Resp.

» Interrogat. Quare fuerit incarceratus? Resp.

» Interrogat. Ubi interea fuerit? Resp.

» Interrogat. Quare non debeat condemnari ad poenam? Resp. Quibus dictis reus dimissus, prius autem depositionem suam sibi prælectam subscribere jussus fuit. — Ego fr. N., confirmo ut supra. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

Si petit, conceditur ei patronus, ut intra terminum ei assignandum producat, si quæ habet, quare non debeat condemnari ad poenam ordinariam.

Postea fit sententia, addita causa minuendi, vel augendi poenam. Si minuitur, vel augetur, ut supra numer. 500 mutatis mutandis; fitque subscriptio debita, et quidem apud nos A. R. P. provincialis, et totius diffinitorii, actuarii, ac testium ad id rogatorum, ut delata, et, promulgata sententia testificantur. (ADNOTATIO I, ad calcem hujusce voluminis.)

TITULUS II.

De calumniatoribus.

1. *Ratio continuationis.* — Præcedentem titulum de accusationibus, denuntiationibus et inquisitionibus recto ordine sequitur titulus præsens de calumniatoribus, eo, quod isti non raro appareant in illis.

2. *Calumnia, et calumniator quid?* — Queritur I. Quid sit calumnia? et quid calumniator? Item quas poenas incurral? Resp. I. Calumnia est delictum, quo quis falsum crimen alteri in iudicio scienter et dolose intendit, id est, contra alterum proponit, calumniator vero est is ipse, qui hoc facit. Est in re communis arg. 1. I, § ff. S. C. Turpil. Definitio ex terminis liquet. Solus notandus terminus in iudicio intendit, seu proponit ad insinuandum, non illum solum, qui aliquem scienter falso accusat, vel denuntiat, sed et quemcumque alium, qui falsum crimen in iudicio contra alium proponit, calumniatorem esse, poenisque subjacere, l. ab accusatione, 6, § fin. eod. ibi: Calumniæ causa puniuntur, qui in fraudem alicujus librum, vel testimonium, aliudve quid conquisisse, vel scripsisse, vel in iudicium protulisse dicuntur.

3. *Calumniator præsumitur, qui probare non potest delictum, de quo accusavit.* — Resp. II. Qui accusat alterum de crimine, quod probare non potest, hoc ipso calumniator præsumitur. Communis arg. c. 2, h. t. juncto can. Calumniator, 2, q. 3, ibi: « Calumniator, si in accusatione defecerit, talionem receperit, et can. qui non 3, ead. cau. et q. ibi: qui non probaverit, quod objecit, poenam, quam intulerit, ipse patitur. » Nam qui alium accusare, vel denuntiare vult, debet paratas habere probationes, l. Qui accusare, c. de Edendo; hinc si in probatione deficit, falso, et dolose, sicque calumniose litem movisse censetur, ut bene advertit Glossa communiter recepta in c. 2, h. t. §. Calumniari; quamvis talis præsumptio non sit juris et de jure, consequenter adversus eam pro innocentia admittatur probatio. Abbas, in cit. c. 2, h. t. et alii, patebitque ex dicendis a n. 12.

4. *Vel denuntiavit judicialiter alterum.* — Resp. III. Sicut qui accusat, sic etiam qui judicialiter, sed non ex officio denuntiat alium, calumniator est, et præsumitur, poenasque calumniatoris incurrit, si scienter false denuntiat, vel in probatione criminis intentati deficit, Clarus, § fin. quæst. 7, n. 12; Farinacius, in *Prazi criminali*. q. 16, n. 15 et 17, cum communi arg. l. Patronum, 10, ff. de Jurepatronat. ubi expresse cavetur: « Qui nomen detulit, accusasse censendus est. » Ut proin accusationis, et denuntiationis effectus quoad poenas (talionis excepta) idem sint. Accedit clarus textus

cit. c. h. t. ubi denunciator tanquam calumniator habetur, et punitur, « donec canonicè suam purgaverit innocentiam, scilicet, quod non calumniandi animo ad hujusmodi crimina proponenda processerit. » Ubi etiam ratio subjungitur illis verbis : « Ut cæteri simili pœna perterriti ad infamiam suorum facile non prosiliant. »

5. An et quomodo præsumatur calumniator denunciare ex officio? — Dicitur autem notanter in conclusione : « Qui non ex officio denuntiat; » qui enim ex officio denuntiant, calumniatores non præsumuntur, nec calumniatorum pœnas incurrunt; etsi in probatione deficient, nisi scienter falso denuntiarent, ut bene advertit Clarus, § fin. q. 7, n. 12; Farinacius, in *Praxi criminali*. q. 15, n. 17, cum communi. Ratio est, quia obligatio officii eos excusat a præsumpta, non item a vera calumnia.

6. Pœnæ calumniatoris tam veri, quam præsumpti sunt I. Quod debeat refundere expensas litis. — Quæritur II. Quæ sint pœnæ calumniatorum? Resp. esse plures. Patet inductione. Nam I. tenetur calumniator reo refundere expensas litis, et resarcire omne damnum eidem secutum. Farinacius, in *Praxi criminali*. quæst. 16, a n. 10, id tanquam certam regulam asserens, atque extendens non solum ad veros, sed etiam præsumptos calumniatores, hoc est, in probatione deficientes, et merito; cum enim hanc sustinere debeant etiam, qui civiliter accusant, et in probatione deficient; multo magis eidem subjacent criminaliter accusantes, utpote qui ob majus periculum, cui subjicitur accusatus, majori cautela procedere debent. Menochius, *de Arbitr.* casu 321, n. 1; et seq.; Clarus, q. 62, n. 4, cum communi arg. I. *Tum quem*. 79, ff. *de Judiciis*, l. *Properandum*, 13, § c. eod. c. *Finem*, 5, *de Dolo*, cum concord. Hinc Carolus V. statuit, ut accusator idoneam cautionem præstaret, quod delicto non probato, expensas litis refundere, et omnia damna secuta resarcire velit; accusati autem iudicio relinquuntur, nam præterea apud iudicem ordinariæ, vel apud eum, coram quo criminaliter fuit accusatus, pro his instare velit. *Constitut. criminali*. art. 12.

7. II. Incurrit infamiam juris post sententiam. — II. Calumniator incurrit infamiam juris can. 1, cau. 2, q. 3, ibi : « Si quis circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intel-

ligat se jacturam infamiæ sustinere, » l. 1, et l. 4, § 4, ff. *de His, qui notantur infamia*, juncta l. *Nostris*, 8, c. h. t. quapropter evadit etiam irregularis, ita ut neque ordines suscipere, neque susceptos exercere valeat, can. fin. dist. 51, can. *Infames*, 17, cau. 6, q. 1, ac inhabilis ad beneficia ac dignitates ecclesiasticas, arg. c. *Inter*, 11, *de Excess. prælat.*

8. Notandum tamen, hanc pœnam infamiæ non statim ipso jure, sed tunc primum incurri, postquam per sententiam tanquam calumniator quis condemnatus est, arg. l. 4, § 4, ff. *de His, qui notantur infamia*, ibi : « Calumniator ita demum notatur, si fuerit calumniæ causa condemnatus; neque enim sufficit calumniatum. » Hinc bene attendi debet ad verba iudicis sententiam ferentis. Nam si quidem ita pronuntiaverit, non probasti, pepercit ei : sin autem pronuntiaverit, calumniatus es, condemnavit eum, ut dicitur l. 1, § 4, ff. *ad S. C. Turpil.*

9. III. Contrahit pœnam talionis. — III. Qui accusando evadunt calumniatores, de jure incurrunt pœnam talionis, can. *Calumniator*, 1, cau. 2, q. 3, ibi : « Calumniator, si in accusatione defecerit, talionem recipiat. » can. *Qui non*, 3, ead. cau. et q. 1. fin. c. h. t. cum concordantiis. Et licet juxta jam dicta tit. præced. n. 10, et seq. consuetudine contraria pœna talionis videatur abrogata, et in arbitrariam commutata, tamen a Pio V, in *Constitut.* Cum primum, quæ est ordine 5, inter Constitutiones dicti Papæ, in Bullar. Cherub. denuo renovata saltem respectu verorum calumniatorum, id est, illorum, qui innocentem scienter falso accusasse confessi, vel convicti fuerint : vide Passerinum, in *Tribunal. regular.* q. 7, n. 14.

Porro in ordine nostro pœnam talionis in calumniatores etiam tantum præsumptos vi statutorum adhuc locum habere, patet, cit. tit. præced. n. 12.

10. IV. Clericus calumniator privatur beneficio, et verberari potest. — IV. Præter enumeratas pœnas clericus alium clericum calumniose accusans, beneficio, et officio suo privari, et verberibus castigatus in exilium mitti potest. c. 1. h. t. ibi : « Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privari officio, et verberibus publice castigatum in exilium deportari. » Et quamvis verberatio clerici per longam consuetudinem non amplius sit in usu, teste Claro, § fin. q. 70, n. 2, tamen

de jure fieri potest; dummodo absque sanguinis effusione, et non enormiter, sed moderate fiat, Clarus, loc. cit.; Diana, in *Pract. criminali*.

11. Si calumniator unius pœnæ non est capax, ea mutari potest in aliam. — Resp. II. Si calumniator non est capax pœnæ talionis, debet ea commutari arbitrio iudicis in aliam proportionatam, arg. c. 1, h. t. ubi subdiaconus in supplementum fuit verberatus. can. *Juxta*, 3, cau. 5, q. 6, et notant in cit. c. 1, h. t. Abbas, in fine, Felinus, n. 1, cum Glossa.

12. Recensentur variæ causæ, quæ accusatorem, vel denuntiatorem in probatione deficientem a præsumpta calumnia, et pœnis ejus excusant. — Quæritur III. An, et quando accusator, vel judicialis denunciator in probatione deficiens immunis sit a nota calumniæ præsumptæ? Resp. I. Quocumque justa causa, vel errore probabili quis ductus accusat, vel denuntiat, tam a calumnia, quam pœnis ejus immunis est. Communis ac certa, arg. l. 1, § 3, ff. *ad S. C. Turpil.* Unde non statim ex eo, quod quis in probatione deficiat, calumniæ, et pœnarum illius reus censeri, sed res prius discuti, et videri debet, qua mente, vel qua causa ductus accusaverit; ut si appareat, justa causa, vel errore id contigisse, absolvi, sin minus, condemnari queat, ut expresse statuitur cit. l. 1, § 3, ff. *ad S. C. Turpil.*

13. Resp. II. Quamvis arbitrio iudicis relinquitur, quæ causa sufficiens censenda sit ad excusandum a calumnia, et pœnis ejus, accusatorem, vel denuntiatorem in probatione deficientem, arg. cit. l. 1, § 3, ff. *ad S. C. Turpil.* tamen dantur etiam quædam causæ id præstantes. Veluti I. Quando quis accusat, vel denuntiat ex officio juxta dicta supra n. 5, arg. l. 2, c. *de His, qui accusar.* et l. 2, c. *de Delat.*

14. II. Infirmetas sexus, si mulier accusat, vel denuntiat; cit. l. 1, § 10, ff. *ad S. C. Turpil.*

15. III. Si saltem semiplene, v. g. per unum testem omni exceptione majorem delictum probavit. Farinac. in *Praxi criminali*. quæst. 16, n. 41; Menochius, *de Arbitrio iudicis*, casu 321, n. 17 et 18; Felinus, in c. 2, h. t. n. 3, cum communi. Cui concordat nostra praxis criminalis tit. *Accusatio*, § 4.

16. IV. Si quis immenso dolore incitatus accusat ut si parentes necem prolis vel e contra,

aut si maritus necem, vel adulterium cum illo commissum accusat l. 2, c. h. t. et *Quamvis*, 30, c. *ad Legem de Adult.*

17. V. Si jam præcessit infamia, vel alia indicia sufficientia ad inquirendum de delicto contra accusatum, Farinacius, loc. cit. n. 61 et 62; Pirhing, h. t. n. 5, cum communi.

18. VI. Si accusans probat, se audivisse a viris fide dignis crimen a reo fuisse commissum : vel si fuit deceptus a testibus promittentibus prius, se plenum daturus testimonium, postea vero in iudicio vacillantibus, aut negantibus. Farinacius, cit. q. 16, n. 49 et 50; Abbas, in c. 2, h. t. cum communi. Concordat praxis nostra loc. cit. Idem est, si testes ab eo nominati, interea fuere mortui, vel a perhibendo testimonio malitiose impediti.

19. VII. Si probavit, vel probare vult per testes, qui ob testificandi inhabilitatem accusatori prius ignotam rejiciuntur. Farinacius, loc. cit. n. 59; Menochius, in *Arbitr. judic.* casu 321, n. 31, cum communi.

20. VIII. Quando accusatur talis, quem lethalem percussorem fuisse, ante mortem suam dixit lethaliter vulneratus, et postea mortuus. Farinacius, loc. cit. n. 60, cum Glossa communiter recepta in l. *Mater*, h. t.

21. IX. Si fit accusatio, vel denuntiatio de crimine in damnum et grave periculum boni communis redundante, uti crimen læsæ majestatis, etc. Abbas, in c. 2, h. t. n. 2, et ibi Felinus, n. 6; Farinacius, loc. cit. n. 57. Ex his ergo ac similibus causis justis arbitrio iudicis cognoscendis excusatur accusator, et denunciator a calumnia, et pœnis ejus; etsi in probatione criminis deficiat. De quibus amplius vide Farinacium, in *Praxi criminali*. cit. q. 16, a n. 32; Menoch. *de Arbitr. iudicis*, casu 321; Abbatem, in c. 2, h. t.

22. *Ut autem excusent, debent prius probari.* — Illud tamen hic notandum venit, quod justa hujusmodi causa in dubio non præsumatur, sed eam accusator, vel denunciator in probatione delicti deficiens, probare debeat; ad quod eidem præfigendus est terminus, infra quem nisi causam justam legitime probet, calumniator præsumitur, pœnisque calumniatoris subjacet, ut bene cum aliis docet Farinacius, loc. cit. n. 38; Pirhing, h. t. n. 5, et quod in contrarium militet juris præsumptio c. 2, h. t. Hinc accusator in probatione deficiens, a

calumnia, et pœnis ejus non excusatur per hoc, quod dicat : « Audiui hoc a viris fide dignis : » vel, « fuit communis fama de hoc, » etc. nisi hoc etiam legitime probet.

23. *Dictæ causæ etiam excusant ab actione injuriarum.* — Quæritur IV. Num enarratæ justæ causæ non tantum a nota calumniatoris, et pœnis ejus, sed etiam ab actione injuriarum immunem reddant accusatorem deficientem in probatione criminis objecti? Resp. Affirmative, saltem si justa causa talis sit, quæ non tantum a dolo, sed etiam a culpa, et temeritate excusat. Farinacius, loc. cit. n. 67 et 71; Covarruvias, *Variar. resolut.* lib. I, cap. XI, n. 6; Menochius, consil. 145, n. 14; Cæpol. in *Consil. criminal.* 70, dub. 3, cum communi contra Alexand. *Consil.* 11, n. 4, volum. 1; Boss. *de Accusat.* n. 19, ad finem; Bajard. ad Clarum, § fin. q. 62, n. 34, et alios volentes, quod etsi reus contra accusatorem in probatione deficientem tanquam calumniatorem agere, et ab eo qua tali expensas litis, et alia prætere non valeat, possit tamen contra illum instituere actionem injuriarum, quæ ad damna, et interesse etiam competit. Ratio autem conclusionis nostræ est, quod justa causa a dolo, et animo injuriandi excuset, per dicta; injuria autem sine dolo, et animo injuriandi non committatur, l. 3, § ult. et penult. l. 4, ff. *de Injur.* et l. *Si non convicti*, c. eod. ergo, ubi adest justa accusandi causa nulla infertur injuria, et per consequens non datur actio injuriarum.

24. Confirmatur. Doctores omnes etiam adversarii concedunt, quod in actione civili justa causa excuset ab expensis; ergo etiam in criminali; ut bene docet Bart. in l. *Non ignorat. c. de Fruct. et Lit. expens.* præsertim, quod alias nemo accusare auderet, sicque delicta manerent impunita, si justa causa accusantem non excusaret ab actione injuriarum, et expensis litis, prout consideranti patet.

25. *Si accusatio caret omni culpa.* — Dicitur tamen notanter in conclusione, si justa causa non tantum a dolo, sed etiam ab alia culpa accusantem immunem reddit; alias enim illum saltem actione injuriarum ad expensas teneri. Sunt plures, quia si accusatio temeritati et culpæ obnoxia est, tanquam iniqua causa damni accusantem ad refundendas saltem expensas obligat; textu valde claro, l. *Eum qui*, 79, ff. *de Judiciis*; Menochius, *Consil.* 149, n. 11, et alii.

26. *Præter calumniam accusatores etiam prævaricando, et tergiversando delinquant.* — Quæritur V. Quibus aliis modis accusatores delinquant, et pœnas juris incurrant? Resp. Præter calumniam, etiam prævaricari, et tergiversari, ac propterea etiam puniri possunt accusatores, ut patet ex l. 1, § 1, ff. *ad S. C. Turpil.* ibi : « Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, et tribus pœnis subjicitur; aut enim calumnantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur. » Quid sit, et quibus pœnis subiaceat calumniari, jam patet ex dictis.

27. *Prævaricari, quid?* — Prævaricari dicitur, qui vel verus, vel simulatus accusator existens, postea incipit cum reo inique colludere, veras probationes delicti dissimulando, vel falsas, aut frivolas exceptiones admittendo, sicque partes rei, cujus adversarium se simulat, fovendo cit. l. 1, § 6, ff. *ad S. C. Turpil.* ibi : « Prævaricatorem eum esse, ostendimus, qui colludit cum reo, et translative, id est, obiter, munere accusandi fungitur, eo quod proprias quidem dissimularet, falsas vero rei exceptionesmitteret. » Concordat l. 1 et 2, *de Prævaricat.*

28. *Pœna prævaricatoris.* — Pœna prævaricatoris est, quod contrahat infamiam juris, textu expresso l. *Si iis*, 4, ff. *de Prævaricat.* et hoc ipso etiam irregularitatem can. *Infames*, cau. 6, q. 1, cum concordantiis. Præterea puniuntur pœna extraordinaria ad arbitrium judicis l. 1 et 2, ff. *de Prævaricat.* ibi « Sciendum est, quod hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria, de prævaricatione adhuc tit. XXII, de collusionem detegenda. »

29. *Tergiversari, quid?* — Tergiversari (quasi tergum vertere) dicitur, qui post litem contestatam ab accusatione criminis citra abolitionem desistit, l. 1, ff. *ad S. C. Turpil.* ibi : « Tergiversari est, in universum ab accusatione desistere. » Et hoc delictum est; quia juxta dicta tit. præced. n. 50, ab accusatione vel denuntiatione semel instituta, post litem contestatam non licet amplius desistere citra abolitionem, quæ est accusationis institutæ peremptio, qua nomen accusati cum omni inscriptione jam facta totaliter aboletur, remissa necessitate accusandi; quæ abolitio impetrari debet vel a principe, vel alia publica auctoritate, arg. l. *Si interveniente*, 12, ff. *ad S. C. Turpil.* (ADNOTATIO II.)

30. *Tergiversationis pœna.* — Pœne tergi-

versationis est quinque librarum auri, juxta l. 3, ff. *de Prævaricat.* aut juxta l. 1, c. ut intra certum tempus accusator non comparens debito tempore quarta omnium bonorum parte privatur, et infamis evadit; et consequenter etiam irregularis.

TITULUS III.

De simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

1. *Ratio continuationis.* — Visis de processu criminali in genere, nimirum de accusationibus, inquisitionibus, et denuntiationibus, simulque de calumniatoribus malitiose proximum accusantibus; pergit compilator juris canonici ad ipsamet crimina in specie, et singillatim discutienda, ob quæ processus, et judicium criminale instituitur; incipiendo a simonia, utpote gravissimo et Ecclesiæ maxime nocivo crimine, adeo ut omnia crimina ad comparisonem simoniæ, quasi pro nihilo reputentur; can. *Patet*, 27, cau. 1, q. 7, prout magis dicitur infra § n. 7.

§ I.

DE ORIGINE, NATURA, ET MALITIA SIMONIÆ.

2. *Simonia derivatur a Simone mago : et quare?* — Pro prima paragraphi parte communiter receptum est, simoniam secundum nominis etymon a Simone Mago derivari. Quamvis enim jam a pluribus ante ipsum, vitium istud commissum fit, ut a Balaam, pretio conducto per Balac regem, ut malediceret populo Israel. Num. cap. XXII, a Giezi famulo Elisæi prophetæ 4, Reg. 5, a Jassone, qui pro sacerdotio multa talenta regi Antiocho obtulisse legitur 2, Machab. 5, et a Juda mercatore pessimo, qui triginta argenteis infinitum bonum, Christum Jesum vehdidit, can. *Qui studet*. cau. 1, quæst. 2. Tamen non ab istis, sed a Simone Mago crimen istud nomen accepit : Tum quia primus in novo Testamento per Apostolos jam promulgato, crimine isto gravissime, et manifeste se inquinavit, dum rem maxime spirituales, videlicet mirabilem illam potestatem conferendi Spiritum S. vili pecuniarum

pretio malitiose emere volebat, Act. 8, ibi : « Obtulit eis (Apostolis) pecuniam dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuiunque imposuero manus, accipiat Spiritum S. » Cujus malitiam illico increpans Petrus dixit ad eum : Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam donum Dei existimasti, pecunia possideri. Tum quia intentione malitiam hanc duplicante id attendebat, ut scilicet potestatem illam pecunia consecutus, eandem cum quæstu et lucro temporali majori exercere posset; ut habetur can. *Salvator*, 8, cau. 1, quæst. 3, ibi : « Simon Magus, qui ad fidem fictè accessit, non Spiritum S. propter Spiritum S. quo ipse erat indignus (quoniam ut scriptum est, Spiritus S. disciplinæ elligiet fictum) sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. » Nota igitur nominis simoniæ origine :

3. *Definitur simonia, explicatur definitio.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit simonia? Resp. I. Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Ita Glossa communiter recepta ad rubricam h. t. Explicantur verba singula. Dicitur primo, studiosa voluntas, id est, deliberatus, et cum advertentia mali habitus actus voluntatis : nam simoniæ reus saltem coram Deo non est, qui vel ex inadvertentia temporale pro spirituali, vel reciproce emit, aut vendit : vel qui ex ignorantia juris aut facti id facit; dum videlicet vel ignorat id esse illicitum, vel non scit rem esse spirituales.

4. Dicitur emendi, vel vendendi, quibus verbis non sola emptio, et venditio proprie dicta, sed omnis alius gratuitus, tacitus, vel expressus contractus onerosus, tam nominatus, v. g. permutatio, locatio, transactio, datio in solutum, etc., quam innominatus do ut des, do ut facias, etc., intelligitur : nam ratio materiæ subjectæ id postulat, fundaturque talis acceptio in jure l. *Statu liberi*, 29, ff. *de Statu liberis*. ibi : Lex duodecim Tabularum exemptionis verbo omnem alienationem complecti videtur.

5. Dicitur aliquid spirituale, vel spirituali annexum; per quæ verba quid intelligatur, plene declarabitur infra § seq. Addunt aliqui majoris claritatis gratia, pro re temporali; verum sicut Glossa omittit illa verba, ita et nos illa hic in definitione simoniæ